



CS-3.1	Enunciado de Prueba	Año:	2021
Especialidad:	LATÍN		

Prueba:	1.A
---------	-----

Acceso:	1-2
---------	-----

Sección 2: Textos en prosa para traducir con diccionario y comentar:

1ª OPCIÓN: Cicero *In Verrem* II, 1 53-54

Aspendum vetus oppidum et nobile in Pamphylia scitis esse, plenissimum signorum optimorum. Non dicam illinc hoc signum ablatum esse et illud. Hoc dico, nullum te Aspendi signum, Verrēs, reliquisse, omnia ex fanis, ex locis publicis, palam, spectantibus omnibus, plaustri evecta exportataque esse. Atque etiam illum Aspendium citharistam, de quo saepe audistis id quod est Graecis hominibus in proverbio, quem omnia ‘*intus canere*’ dicebant, sustulit et in intimis suis aedibus posuit, ut etiam illum ipsum suo artificio superasse videatur.

Pergae fanum antiquissimum et sanctissimum Dianae scimus esse: id quoque a te nudatum ac spoliatum esse, ex ipsa Diana quod habebat aurum detractum atque ablatum esse dico. Quae, malum, est ista tanta audacia atque amentia! Quas enim sociorum atque amicorum urbes adisti legationis iure et nomine, si in eas vi cum exercitu imperioque invasisses, tamen, opinor, quae signa atque ornamenta ex his urbibus sustulisses, haec non in tuam domum neque in suburbana amicorum, sed Romam in publicum deportasses.

2ª OPCIÓN: Titus Livius *Ab Urbe Condita* 21.40 Discurso de P. Cornelio Escipión (padre)

»Si eum exercitum, milites, educerem in aciem quem in Gallia mecum habui, supersedissem loqui apud vos; quid enim adhortari referret aut eos equites qui equitatum hostium ad Rhodanum flumen egregie uicissent, aut eas legiones cum quibus fugientem hunc ipsum hostem secutus confessionem cedentis ac detractantis certamen pro uictoria habui? Nunc quia ille exercitus, Hispaniae provinciae scriptus, ibi cum fratre Cn. Scipione meis auspiciis rem gerit ubi eum gerere senatus populusque Romanus uoluit, ego, ut consulem duces aduersus Hannibalem ac Poenos haberetis, ipse me huic uoluntario certamine obtuli, nouo imperatori apud uos milites pauca uerba facienda sunt. Ne genus belli neue hostem ignoratis, cum his est uobis, milites, pugnandum quos terra marique priore bello uicistis, a quibus stipendium per uiginti annos exegistis, a quibus capta belli praemia Siciliam ac Sardiniam habetis. Erit igitur in hoc certamine is uobis illisque animus qui uictoribus et uictis esse solet.

3ª OPCIÓN: *Sallustius Bellum Catilinae XVIII*

Sed antea item coniuravere pauci contra rem publicam, in quibus Catilina fuit. De qua, quam verissime poterō, dicam. L. Tullō et M'. Lepidō cōsulibus, P. Autrōnius et P. Sulla dēsignātī cōsulēs, lēgibus ambitūs interrogātī, poenās dederant. Post paulō Catilīna pecūniārum repetundārum reus prohibitus erat cōsulātum petere, quod intrā legitumōs diēs profitērī nequiverat. Erat eōdem tempore Cn.Pisō, adulēscēns nōbilis, summae audāciae, egēns, factiōsus, quem ad perturbandam rem pūblicam inopia atque malī mōrēs stimulābant. Cum hōc Catilīna et Autrōnius circiter Nōnās Decembris, cōsiliō commūnicātō, parābant in Capitōliō Kalendīs Iānuāriīs L. Cottam et L. Torquātum cōsulēs interficere, ipsī, fascibus correptīs, Pisōnem cum exercitū ad obtinendās duās Hispāniās mittere. Eā rē cognitā, rūsus in Nōnās Februāriās cōsiliū caedis trānstulerant. Iam tum nōn cōsulibus modo, sed plērīsque senātōribus perniciem māchinābantur. Quod nī Catilīna mātūrāset prō cūriā signum sociīs dare, eō diē post conditam urbem Rōmam pessimum facinus patrātum foret. Quia nōndum frequentēs armātī convēnerant, ea rēs cōsiliū dirēmit.

Sección 3: Textos en verso para traducir con diccionario y comentar:

1ª OPCIÓN: Vergilius *Aeneis* VI 295-308

Hinc via Tartarei quae fert Acherontis ad undas.
turbidus hic caeno vastaque voragine gurgis
aestuat atque omnem Cocyto eructat harenam.
portitor has horrendus aquas et flumina servat
terribili squalore Charon, cui plurima mento
canities inculta iacet, stant lumina flamma,
sordidus ex umeris nodo dependet amictus.
ipse ratem conto subigit velisque ministrat
et ferruginea subvectat corpora cumba,
iam senior, sed cruda deo viridisque senectus.
huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,
matres atque viri defunctaque corpora vita
magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae,
impositique rogis iuvenes ante ora parentum:-

2ª OPCIÓN: Ovidius *Metamorphoses* I 89-100

Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo,
sponte sua, sine lege fidem rectumque colebat.
poena metusque aberant, nec verba minantia fixo
aere legebantur, nec supplex turba timebat
iudicis ora sui, sed erant sine vindice tuti.
nondum caesa suis, peregrinum ut viseret orbem,
montibus in liquidas pinus descenderat undas,
nullaque mortales praeter sua litora norant;
nondum praecipites cingebant oppida fossae;
non tuba directi, non aeris cornua flexi,
non galeae, non ensis erat: sine militis usu
mollia securae peragebant otia gentes.

3ª OPCIÓN: Horatius *Carmina* III XXX

Exegi monumentum aere perennius
regalique situ pyramidum altius,
quod non imber edax, non Aquilo impotens
possit diruere aut innumerabilis
annorum series et fuga temporum.

Non omnis moriar multaue pars mei
vitabit Libitinam; usque ego postera
crescam laude recens, dum Capitolium
scandet cum tacita virgine pontifex.

Dicar, qua violens obstrepit Aufidus
et qua pauper aquae Daunus agrestium
regnavit populorum, ex humili potens
princeps Aeolium carmen ad Italos
deduxisse modos. Sume superbiam
quaesitam meritis et mihi Delphica
lauro cinge volens, Melpomene, comam.



CS-3.1	Enunciado de Prueba	Año:	2021
Especialidad:	LATÍN		

Prueba:	1.A
---------	-----

Acceso:	1-2
---------	-----

Sección 1: Textos para traducir sin diccionario:

1ª OPCIÓN: Cicero *De senectute* XIV, 50

Quid in leviōribus studiīs, sed tamen acūtīs? Quam gaudēbat *bellō suō Pūnicō* Naevius! Quam *Truculentō* Plautus, quam *Pseudolō!* Vīdī etiam senem Līvium: quī, cum sex annīs ante quam ego nātus sum fābulam docuisset, Centōne Tuditānōque cōsulibus, ūsque ad adulēscēntiam meam prōcessit aetāte. Quid dē P. Liciniī Crassī, et pontificī et cīvīlis iūris studiō loquar? Aut dē huius P. Scīpiōnis, quī hīs paucīs diēbus pontifex māximus factus est? Atque eōs omnēs, quōs commemorāvī, hīs studiīs flagrantēs senēs vīdimus. M. vērō Cethēgum, quem rēctē '*Suādae medullam*' dīxit Ennius, quantō studiō exercēri in dīcendō vidēbāmus, etiam senem! Quae sunt igitur epulārum, aut lūdōrum, aut scortōrum voluptātēs cum hīs voluptātibus comparandae? Atque haec quidem studia doctrīnae, quae quidem prūdentibus et bene īstitutīs pariter cum aetāte crēscunt: ut honestum illud Solōnis sit, quod ait versiculō quōdam, ut ante dīxī, senēscere sē, multa in diēs addiscentem; quā voluptāte animī nūlla certē potest esse māior.

2ª OPCIÓN: Sallustius *Bellum Iugurthinum* 12-13

Numida mandāta brevī cōnficit atque, uti doctus erat, noctū Iugurthae mīlitēs intrōdūcit. Quī postquam in aedēs irrūpēre, dīversī rēgem quaerere, dormientīs aliōs, aliōs occursantīs interficere, scrūtārī loca abdita, clausa effringere, strepitū et tumultū omnia miscēre, cum interim Hiempsal reperītur occultāns sē tuguriō mulieris ancillae, quō initiō pavidus et ignārus locī perfūgerat. Numidae caput eius, uti iussī erant, ad Iugurtham referunt.

Cēterum fāma tantī facinoris per omnem Āfricam brevī dīvulgātur. Adherbalem omnīsque, quī sub imperiō Micipsae fuerant, metus invādit. In duās partīs discēdunt Numidae: plūrēs Adherbalem sequuntur, sed illum alterum bellō meliōrēs. Igitur Iugurtha quam māximās potest cōpiās armat, urbīs partim vī, aliās voluntāte imperiō suō adiungit, omnī Numidiae imperāre parat. Adherbal, tametsī Rōmam lēgātōs mīserat, quī senātum docērent dē caede frātris et fortūnīs suis, tamen frētus multitudīne mīlitum parābat armīs contendere. Sed ubi rēs ad certāmen vēnit, victus ex proeliō profūgit in prōvinciam ac deinde Rōmam contendit.

3ª OPCIÓN: *Vergilius Aeneis* II, 1-24

Conticuere omnēs intentīque ōra tenēbant;
inde torō pater Aenēās sic ōrsus ab altō:
“Infandum, rēgīna, iubēs renovāre dolōrem,
Trōiānās ut opēs et lāmentābile rēgnū
ēruerint Danaī, quaeque ipse miserrima vīdī
et quōrum pars magna fuī. Quis tālia fāndō
Myrmidonum Dolopumve aut dūrī mīles Ulixī
temperet ā lacrimīs? Et iam nox ūmida caelō
praecipitat suādentque cadentia sīdera somnōs.
Sed sī tantus amor cāsūs cognōscere nostrōs
et breviter Trōiae suprēmum audīre labōrem,
quamquam animus meminisse horret lūctūque refūgit,
incipiam. Frāctī bellō Fātisque repulsī
ductōrēs Danaūm tot iam lābentibus annīs
īnstar montis equum dīvīnā Palladis arte
aedificant, sectāque intexunt abiete costās;
vōtum prō reditū simulant; ea fāma vagātur.
Hūc dēlēcta virum sortītī corpora fūrtim
inclūdunt caecō laterī penitusque cavernās
ingentēs utrumque armātō mīlite complent.
Est in cōnspectū Tenedos, nōtissima fāmā
īnsula, dīves opum Priamī dum rēgna manēbant,
nunc tantum sinus et statīō male fīda carīnīs:
hūc sē prōvectī dēsertō in lītore condunt;